CONCILIATIO ARTICVLI DE COENA DOMINI, INTER MINISTROS, qui in vtraq; Polonia, Lituania et Samogitia, Euangelium Christi, tam iuxta Augustanam, quàm fratrum Vvaldensium, & Helueticarum Ecclesiarum, Confessionem, docent:

Facta in generali Synodo Sendominensi 14. Aprilis, Anno 1570.

ACCESSIT BREVIS DE MEDIATORE Confessio, qua omnis etiam in hoc articulo controuersia sublata est: edita in eadem Synodo 1. Aprilis, Anno 1570.

Matth. 5.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

AD LECTOREM.

VTilis & admodum necessaria est, Pauli admonitio. Studete, inquit, seruare vnitatem spiritus, per vinculum pacis &c. Vnus est Dominus, vna fides, & vnum Baptisma. Quemadmodum igitur detestandus est illorum furor potius, quàm zelus, qui contendendi libidine, quidvis, quantumuis sobriè & circumspectè dictum, carpunt atq; arrodunt: ita illorum studium immortali memoria dignum est, qui quanta possunt diligentia, in hoc toti sunt, vt inter eos, qui eundē Christum crucifixum, vnicum, solum & perfectum generis humani seruatorem annunciant (mitigatis dictis, sententiisq; paulò crudioribus, salua denicq; verbi diuini integritate) mutua animorum coniunctio coalescat. Itaq; perpetua laude digni sunt, orthodoxarum in vtraq; Polonia, Lituania et Samogitia Ecclesiarum ministri, qui superatis animorū affectibus (quod, Cicerone teste, pulcherrimum victoriæ genus est) ex infelici, & nō necessario contentionum de Cœna Domini Labyrintho, felicissimè tandem emerserunt, ac formulæ huic, quam tibi legendam offerimus, vnanimiter subscripserunt. Superest, vt quotquot vbicq; terrarum, puram Euangelij doctrinam, aduersus pontificiorum, aliorumq; Sectariorum strophas tuentur, in hunc scopum pacis atq; concordiæ colliment, eōcq; omnia sua studia dirigant. Hoc vt breui fiat, Deus opt. Max. ardentibus votis rogandus est.

CONSENSVS MV-TVVS IN RELIGIONIS CHRISTIANAE Capitibus inter Ecclesię Maioris & minoris Poloniæ, Lituaniæ, & Samagitiæ, quæ iuxta confessionem Augustanam, fratrum VValdensium, vt vocant, & Helueticam, aliquo modo á se dissentire videbantur, factus in Synodo Sendominen. Anno 1570. Apr. 14.

POstquam diu multumq; cum sectarijs, Tritheitis, Ebionitis, Anabaptistis conflictatum esset, tandē diuino fauore ex tot tantisq; certaminibus & deplorandis contentionibus emersimus. Visum est ijsdem Ecclesijs Polonicis reformatis & orthodoxis, quæ in quibusdam capitibus & formulis doctrinæ (hostibus veritatis & Euangelij) minimè consentire videbantur, pacis & concordiæ studio, Synodum conuocare, ac consensionem mutuam testari. Quare habita collatione amica & Christiana, sic iunctis compositisq; animis consenserunt in hæc capita.

Primum. Quemadmodum & nos, qui in præsenti Synodo nostram confessionem edidimus & fratres, nunc̄q; credidimus eos, qui Augustanam Confessionem amplectuntur, aliter quám piè & orthodoxè sensisse de Deo, & sacra Trinitate, atq; Incarnatione filij Dei, & iustificatione, alijsq; præcipuis capitibus fidei nostræ: ita etiam ij qui Augustanam Confessionem professi sunt candidè & sincere se vicissim tam de nostrarum Ecclesiarum, quam de fratrum, quos vocant VValdenses, confessione de Deo

& ſacra triade, incarnatione filij Dei, iuſtificatione, & alijs primarijs Capitib⁹ fidei Chriſtianę, nihil agnoſcere, quod ſit abſonũ ab orthodoxa veritate, & puro verbo Dei. Ibiq; ſanctè inuicem huius pollicíti, vnanimiter ſecundùm regulam Verbi Dei defenſuros conſenſum hunc mutuũ in vera & pura Chriſti Religione contra Pontificios, contra ſectarios, contra denicq; omnes hoſtes Euangelij & veritatis.

Deinde verò quantum ad infelix illud diſſidium de Cœna attinet, conuenimus in ſententia verborum, vt illa orthodoxè intellecta eſt à Patribus, ac inprimis ab Irenęo, qui duabus rebus, ſcilicet terrena & cœleſti, hoc myſteriũ conſtare dixit, necq; elementa ſignáue illa nuda & vacua eſſe aſſerimus, ſed ſimul reipſa CREDENTIBVS exhibere & præſtare FIDE, quod ſignificant. Denicq; vt expreſſius, clariuſcq; loquamur, conuenimus vt credamus & confiteamur, ſubſtantialem pręſentiam Chriſti, non ſignificari duntaxat, ſed verè in Cœna veſcentibus repreſentari, diſtribui, & exhiberi, Symbolis adiectis ipſi rei, minimè nudis, ſecundùm Sacramentorum naturam. Ne verò diuerſitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit, præter articulum, qui eſt inſertus confeſſioni noſtræ mutuo conſenſu adſcribere articulum Confeſſionis Saxonicarum Eccleſiarum de Cœna Domini, miſſæ ad Tridentinum Concilium anno 1551. quem etiam pium agnoſcimus, & recipimus. Cuius Confeſſionis verba ſunt hæc.

De Cœna Domini.

ET baptiſmus, & cœna Domini, ſunt pignora & teſtimonia gratiæ, ut antea dictum eſt, quæ de promiſſione & tota redemptione nos commonefaciunt, & oſtendunt beneficia Euangelij ad ſingulos pertinere, qui his ritibus utuntur. Sed tamen hoc diſcrimen eſt: per Baptiſmum ſingulos inſeruntur Eccleſiæ, ſed cœnam Domini ſimul etiam uoluit Dominus eſſe ueram publicæ congregationis. Vult enim Deus miniſterium Euangelij publicum eſſe, non uult in latebris tantum incluſam teneri uocem Euangelij, ſed exaudiri eam uult à toto genere humano, uult ſe agnoſci & inuocari: Ideo uult publicos & honeſtos eſſe congreſſus, & in his uult ſonare Euangelij uocem, uult ſe ibi inuocari & celebrari. Vult etiam hos ipſos congreſſus, teſtes eſſe confeſſionis & ſeiunctionis Eccleſiæ Dei, ab aliarum gentium ſectis & opinionibus. Conuenit Ioannes Epheſi cum ſuo cœtu, & docet Euangelium, & uſu Sacramentorum, totus cœtus oſtendit ſe hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare, qui Euangelium tradidit, & ſeiunctum ſe eſſe à Dianæ, Iouis, & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conſpici & audiri ſuam Eccleſiam in mundo, & uult ſeiunctam eſſe multis publicis ſignis à reliquis gentibus. Sic haud dubiè ſuos cœtus habuerunt primi parentes, Adam, Seth, Enoch, Noe, Sem, Abraham: & deinceps politia Iſrael habuit multos ritus, ut ſeiunctio illa à gentibus eſſet conſpectior.

Addidit etiam peculiarem promiſſionem congregationi: Vbicunq; duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ero in medio eorum. Item: Quicquid petent conſentientes, fiet eis. Et in Pſal. Laus eius in Eccleſia Sanctorum.

Sintq; promiſſiones, in quibus adfirmat Deus, ſe Eccleſiam ſeruaturum eſſe, eo dulciores, quia intelligimus eum publicum miniſterium in congreſſibus honeſtis conſeruare & reſtituere: ſicut & in ipſis uerbis Cœnæ Domini incluſa eſt hæc promiſſio, cùm iubet annunciari mortem Domini, & hanc Cœnam diſtribui, donec uenerit.

Vt igitur reuerentia maior sit in huius Sacramenti usu, ueræ causæ institutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem, & ad singulorum consolationem pertinent.

Prima causa est: Filius Dei uult in publica & honesta congregatione sonare uocem Euangelij. Huius congregationis uinculum uult esse hanc sumptionem, quæ summa reuerentia facienda est, cùm ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini & sumentium, de qua reuerentia Paulus loquitur, inquiens: Qui sumit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Secunda, uult & concionem, & ipsum ritum prodesse ad conseruationem & propagationem memoriæ passionis, resurrectionis, & beneficiorum suorum.

Tertia: Vult quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare, ut statuat ad se pertinere beneficia Euangelij, cùm concio sit communis: & hoc testimonio, hac sumptione ostendit, te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo, & facere se hoc fœdus: Manete in me, & ego in uobis. Item: Ego in eis, & hi in me.

4 Quarta uult hanc publicam sumptionem, confessionem esse, qua ostendis quod doctrinæ genus amplectaris, cui cætui te adiungas. Vult & gratias agi publicè & priuatim in hac ipsa cæremonia Deo æterno Patri, Filio & Spiritui sancto, cùm pro cæteris beneficijs, tum nominatim pro hoc immenso beneficio redemptionis & salutionis. Vult & ipsis Ecclesiæ membris inter sese uinculũ esse mutuæ beneuolentiæ. Ita multi fines concurrunt.

Harum maximarum causarum commemoratione inuitantur homines ad Sacramenti reuerentiam & usum. Et docemus, quomodo prosit usus. Apertè damnamus portentosum errorem monachorum, qui scripserunt, sumptionem mereri remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato, sine bono motu utentis. Hæc Pharisaica imaginatio pugnat cum dicto, Iustus sua fide uiuet. Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad Cœnam Domini, oportere pœnitentiam, seu conuersionem adferre, & accensa iam fide in

in cogitatione de morte & resurrectione & beneficijs Filij Dei, quærere hic confirmationem huius fidei: quia in usu Sacramenti fit testificatio, quæ ostendit, ad te quoq; pertinere beneficia Filij Dei. Fit & testificatio, quòd te sibi membrum adiungat, & quòd sit in te, sicut dicit: Ego in uobis &c.

Monemus etiam, ne existiment propter hoc opus seu hanc obedientiam remitti peccata, sed ut fiducia intuentur mortem & meritum Filij Dei, & resurrectionem eius. Et statuãt propter ipsum nobis peccata remitti, & uelle eum hanc fidem hac commonefactione & testificatione confirmari. Cum hoc modo fides, consolatio, gaudium conscientiæ & gratiarum actio crescunt, prodest sumptio. Nec admittuntur ulli ad communionem, nisi prius à Pastore aut Collegis eius auditi sunt, & absoluti. In hac exploratione interrogantur, & sæpe erudiuntur rudiores, de tota doctrina: & deinde absolutio promulgatur.

Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones diuinitus institutas, & extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in usu instituto in hac communione uerè et substantialiter adesse Christum, & uerè exhiberi sumentibus corpus & sanguinẽ Christi: Christum testari quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, & quòd abluerit eos sanguine suo, sicut & Hilarius inquit: Hæc accepta & hausta efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

In ipso autem ritu seruamus morem usitatum uniuersæ Ecclesiæ ueteris, Latinæ & Græcæ. Non fiunt priuatæ missæ, hoc est, tales in quibus non fiat distributio corporis & sanguinis Christi: sicut nec uetus Ecclesia aliquot seculis post Apostolos, tales missas habuit: ut descriptiones ueteres apud Dionysium, Epiphanium, Ambrosium, Augustinum, & apud alios ostendunt. Et Paulus expresse iubet, simul fieri multorum communionem.

Itaq; in publica & honesta congregatione recitantur aut canuntur precationes & symbolum, & lectiones cum sacris canticis, distributæ in dies festos, usitato more. Deinde fit concio de beneficijs filij Dei, & de aliqua doctrinæ

doctrinæ parte, ut series temporum præbet argumentum. Postea recitat pastor gratiarum actionem, & precationem pro uniuersa Ecclesia, pro Potestatibus, & pro præsenti necessitate: & orat Deum, ut propter Filium, quem uoluit fieri uictimam pro nobis, remittat nobis peccata, & nos saluet, colligat & seruet Ecclesiam.

Deinde recitat in loco consueto uerba Christi, de Cœnæ institutione, et sumit ipse, & distribuit sumentibus integrum Sacramentum: qui reuerenter accedunt, antea explorati & absoluti, & ibi suas preces ad publicas adiungunt. Ad extremum, rursus recitatur gratiarum actio.

Hunc ritum, & hanc communionem plurium, congruere cum scriptis Apostolorum, & consuetudine ueteris Ecclesiæ, ferè usq; ad Gregorij ætatem, norunt omnes non prorsus ignari antiquitatis, quod cum ita sit, probanda, non improbanda est nostrarum Ecclesiarum consuetudo: sed aduersarij improbantes nostram consuetudinem, defendunt multos errores, alij magis tetros, alij nouis iam artificijs fucatos. Multi ante hoc tempus scripserunt, fieri oblationem in Missa pro uiuis & mortuis, & mereri eam facienti & alijs remissionem peccatorum ex opere operato. Et hæc plurimorum persuasio fuit, & adhuc est, similis Pharisaicæ & Ethnicæ. Nam eodem modo Pharisæi & Ethnici somniabant, se ex opere operato mereri sibi & alijs remissionem peccatorum, pacem, & alia multa bona. Aut etiamsi qui minus cœci uerecundius loquebantur, etsi dicebant mereri ea non sine bono motu sacrificantis, tamen sacrificia ipsa fingebant esse merita precium. Hac opinione cumulabãtur sacrificia, & crescebant aucupia quæstus. Talis est et missarũ mercatus, et prophanatio Cœnæ Domini, ferè in toto orbe terrarũ.

Vult autem Deus, uitiosos cultus taxari & aboleri. Ideo uocem diuinam simpliciter & uerè proponimus, quæ errores illos damnat. Ac toto pectore adfirmamus coram Deo & tota Ecclesia in cœlo & in terra, tantum fuisse unicum sacrificium propitiatorium, seu quo ira æterni patris aduersus genus humanum placata est: scilicet, Totam filij Dei Domini nostri IESV Christi crucifixi & resuscitati obedientiam. Hic unicus est agnus, qui tollit

peccata

peccata mundi. De hoc unico ſacrificio dictum eſt Heb. 10. Vnico ſacrificio conſummauit in perpetuum eos qui ſanctificantur. Et hoc ſacrificium ſingulis ſua fide applicatur, cùm audiunt Euangelium, & Sacramentis utuntur, ut Paulus inquit: Quem poſuit propitiatorem in ſanguine per fidem. Et, Iuſtus fide ſua uiuet. Et in 1. Petri: Sanctificati ſpiritu, ad obedientiam & conſperſionem ſanguinis IESV Chriſti. Cætera ſacrificia in ueteri teſtamento fuerunt typica, de quibus ſuo loco copioſiùs dicitur. Et nequaquam merebantur remiſſionem peccatorum, & omnes iuſtitiæ Sanctorum omnibus temporibus, fuerunt, ſunt, & erunt ſacrificia laudis, ſeu εὐχαριστικὰ, quæ non merentur facienti aut alijs remiſſionem, ſed ſunt cultus debiti in ſingulis, & placent propter mediatorem & ſummum ſacerdotem filium Dei: ut dicitur ad Heb. Per ipſum offerimus ſacrificium laudis ſemper Deo. Hanc eſſe immotam & æternam ueritatem, manifeſtiſſimum eſt. Quòd uerò citantur contra tam claram lucem ueritatis, centones, quos nominant Canones miſſæ, etiam manifeſtum eſt, diſſimiles eſſe Canones Græcos & Latinos. Et Græcos ipſos diſſentire inter ſeſe de re maxima: & in hoc Latino, qui uſitatus eſt, apparet paulatim adſutas eſſe lacinias ab ignotis authoribus.

Vetus Eccleſia utitur nominibus ſacrificij & oblationis: ſed intelligit totam actionem, precationem, ſumptionem, recordationem, fidem, ſpem, confeſſionem, & gratiarum actionem. Hæc tota actio interior & exterior, in quolibet conuerſo ad Deum, & in tota Eccleſia, eſt reuera ſacrificium laudis, ſeu εὐχαριστικὸν, & λογικὴ λατρεία. Et cùm inquit Dominus, Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate: adfirmat, in nouo teſtamento non præcipi externa ſacrificia, quæ fieri neceſſe ſit, etiamſi in corde nulli ſint motus Spiritus ſancti: ſicut in lege neceſſe erat cæremoniam paſchatos ſeruari.

Sed de Cœna Domini dicitur: Probet ſe unuſquiſq;, &c. Ita prodeſt utenti Cœna Domini, cùm adfert pœnitentiam & fidem, & non prodeſt ei alienum opus. Præterea de mortuis manifeſtum eſt, totum hoc ſpectaculum

pugnare cum uerbis institutionis Cœnæ, in quibus dicitur Accipite, manducate, &c. Hoc facite in mei recordationem. Quid hoc ad mortuos, uel absentes? Et tamen in magna parte Europæ plurimum missarum fit pro mortuis. Magna etiam multitudo prorsus ignorans quid agat, legit missas propter mercedem. Cum autem hæc omnia manifeste sint impia, facere oblationem, ut loquuntur, ut mereantur uiuis & mortuis: aut facere nescientem quid agat: horribiliter peccant, qui hæc scelera retinent & defendunt. Et cum ritus extra usum institutum non habeat rationem Sacramenti, quæ lis ibi fiat idolorum cultus, cogitent pij & eruditi.

Est & manifesta profanatio, partem cœnæ Domini circumgestare, & adorare: ubi prorsus transfertur pars ad usum toto genere diuersum ab institutione, cum textus dicat: Accipite, manducate, cum quidem & recens sit hoc spectaculum.

Postremò, quales sunt mores plurimorum sacrificulorum & Monachorum in tota Europa, qui non curant hoc dictum: Probet se unusquisq; Item Quicunq; indignè sumit, reus erit corporis & sanguinis Domini?

Est autem Pontifices & hypocritæ, qui præstigias quærunt ad hæc mala stabilienda, rident has querelas, tamen certissimum est, Deum horribiliter irasci his sceleribus: sicut in Israel irascebatur sacrificiorum profanationibus. Et uidemus iræ exempla manifesta: Totius regnorum ruinas, nationem orbis terrarum quam faciunt Turcæ, confusiones opinionum, & multas tristissimas dissipationes Ecclesiarum.

Te autem, fili Dei, Domine IESV Christe, crucifixe pro nobis, & resuscitate, summe sacerdos Ecclesiæ tuæ, ueris gemitibus oramus, ut propter tuam & æterni patris tui gloriam, deleas idola, errores & abominationes & sicut ipse precatus es, sanctifices nos in ueritate tua, & in pectoribus plurimorum accendas lucem Euangelij tui, & ueram inuocationem, & corda nostra ad ueram obedientiam flectas; ut grati te in omni æternitate celebremus.

Omnium angelorum & hominum eloquentiam superat magnitudo peccatorum,

eatorum, quæ profanatio Cœnæ Domini tot iam seculis parit. Et nos, cum par oratio tantæ rei nulla possit esse, breuiores sumus: & in hoc ingenti dolore filium Dei oramus, ut ipse hæc mala emendet: & simul ad declarationem copiosiorem nos apud eos offerimus, qui eam audire uolunt. Sed in hac quæstione præcipuè fieri cernimus hoc quod ait Salomon: Perinde facere canentem carmina prauo cordi, ac si acetum fundat supra nitrum.

Has de sacrificio persuasiones, sciunt aduersarij neruos esse suæ potentiæ & opum. Ideo contrariam orationem audire nolunt. Quidam astutè iam lenire absurda discunt. Non est, inquiunt, meritum oblatio, sed applicatio: struunt insidias uerbis, & eosdem abusus retinent.

Dixi autem etiam antea, unumquemlibet sua fide facere sibi applicationem sacrificij Christi, & cum audit Euangelium, & cum utitur Sacramentis. Et scriptum est: Probet unusquisq; seipsum. Non igitur sentit Paulus, cæremoniam alteri non utenti prodesse, & filius Dei ipse se obtulit, ingrediens in sanctum sanctorum, id est, in arcanum consilium diuinitatis, cernens uoluntatem æterni patris, & ingentem iram sustinens, & causas huius mirandi consilij intelligens. Hæ res magnæ significãtur, cùm dicit Paulus ad Hebr. Sese obtulit: & cùm inquit Esaias, Ponet animam suam hostiam pro peccato.

Quid igitur nunc intelligunt sacrificuli, qui dicunt se offerre Christũ? nec antiquitas hoc modo locuta est. Sed atrocissima oratione nos accusant, dicũt nos delere iuge sacrificiũ: sicut faciebat Antiochus qui typus est Antichristi.

Respondimus etiam antea, nos retinere totum ritum Ecclesiæ Apostolicæ: & iuge sacrificium est sonare doctrinam incorruptam Euangelij, & rectè inuocare Deum: deniq;, ut Dominus inquit, est, adorare Patrem in spiritu & ueritate. Complectimur hic etiam uerum usum Sacramentorũ. Hæc omnia cum fidelissimè retineamus, summa reuerentia retinemus iuge sacrificiũ: illi abolent, qui ueram inuocationẽ & cœnam ipsam Domini multis modis corrumpunt, qui iubent inuocare homines mortuos, qui missas uenales habent, qui iactitant se oblatione sua alijs mereri, qui doctrinæ de pœnitentia

tentia & remissione peccatorum multos tetros errores immiscent: qui iubent dubitare agentes pœnitentiam, an sint in gratia, qui libidinibus & idolis Ecclesiam polluunt. Hi sunt Antiochi similes, non nos, qui obedire Filio Dei studemus, dicenti: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.

Postremò & de usu integri Sacramenti pauca quædam dicenda sunt. Remouetur sophistica à iudicijs Ecclesiæ. Norunt omnes, Cœnam Domini ita institutam esse, ut detur populo integrum Sacramentum, sicut scriptum est: Bibite ex hoc omnes. Nota est & consuetudo ueteris Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ. Ideo fatendum est, prohibitionem unius partis iniustam esse. Legitima hominum testamenta uiolare, iniustum est: cur Filij Dei testamentum, sanguine ipsius obsignatum, Episcopi uiolant? Dolendum est autem, tantam esse impudentiam quorundam, ut contra hoc grauissimum argumentum, tamen fingant sophismata, ad stabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifesta omittimus.

Huius autem sancti, mutuiq; consensus vinculum fore arbitrati sumus, cõuenimusq;, vt quemadmodum illi nos, nostrasq; Ecclesias, & confessionem nostram in hac Synodo publicatam & fratrum, orthodoxas esse testantur. Sic & illorum Ecclesias eodem Christiano amore prosequamur, & orthodoxas fateamur, extremumq; valedicamus, et altum silentium imponamus omnibus rixis, distractionibus, dissidijs, quibus Euangelij cursus non sine maxima multorum piorum offensione impeditus est. Et vnde aduersarijs nostris non leuis calumniandi & ueræ Christianæ religioni nostrę contradicendi, occasio sit subministrata, quia potius paci & tranquillitati publicæ studere, charitatem mutuam exercere, & operas mutuas ad ædificationem Ecclesiæ pro fraterna coniunctione nostra præstare debemus.

Ad

Adhæc recipimus mutuo cõsensu, omni studio nostris omnibus persuasuros atq; eos inuitaturos ad hunc Christianum, & vnanimem consensum amplectendum, colendum, & conseruandum, illumq; alendum, & obsignandum, præcipuè auditione verbi, frequentando tam huius quàm alterius cuiusq; confessionis coetus, & Sacramentorum vsu, obseruato tamen recto ordine & gradu tam disciplinæ, quàm consuetudinis vniuscuiusq; Ecclesiæ.

Ritus autem liberos vniuscuiusq; Ecclesiæ ex hac concordia, & coniunctione relinquimus, Non enim multum refert, qui ritus obseruentur, modo sarta tecta & incorrupta existat ipsa doctrina. Quemadmodum Confessio Augustana docet, & in hac generali confessione nostra idipsum expressimus.

Quamobrem consilia officiaq; charitatis mutua in nos conferre, & in posterum de conseruatione & incremento omnium totius regni piarum reformatarum Ecclesiarum, tanq; de vno corpore cõsulere polliciti sumus, & si quando Synodos generales celebrabunt, nobis quoq; significent, & ad nostras etiam generales vocati, non grauatim veniant si opus fuerit.

Atq; vt colophonem huic consensui, & mutuæ concordiæ imponamus, ad hanc firmam societatem conseruandam tuendamq; non incommodum fore putamus, in locum certum conuenire, vbi vnà ex mutuis confessionibus, improbitate hostium ad id adacti, compendium corporis doctrinæ eliceremus, & in publicum ederemus, vt inuidorum horum ora obturarentur, cum maximo omnium piorum solatio, sub titulo omnium Ecclesiarum polonicarum reformatarum & Lithuanicarum, Samagiticarumq; nostræ confessioni consentientium.

Datis igitur iunctisq; dextris sanctè promisimus & recepimus inuicem fidem & pacem colore, fouere, & indies ad ædificationem regni Dei magis magisq; amplificare velle, omnesq; occasiones distractionis Ecclesiarum euitaturos. Denicq; se immemores & oblitos suiipsius, vt veros Dei ministros decet, solius IESV Christi Saluatoris nostri gloriam promoturos, & Euangelij illius veritatem propugnaturos tum dictis tum factis receperunt. Quod vt felix, ratum, firmumq; sit in perpetuum, oramus ardentibus votis Deum patrem totius consolationis & pacis authorem & fontem vberrimum, qui nos ex densis Papatus tenebris, nostrasq; Ecclesias eripuit, donauitq; puro verbi sui, & sacro sancto veritatis lumine, hancq; nostram sanctam pacem, consensionem, coniunctionem, & vnionem benedicere ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ ædificationem velit. Amen.

CONSENSVS ECCLESIARVM REFORMATARVM MAioris & minoris Poloniæ, cum quibusdam fratribus Ministris, qui sequebantur dogma de Mediatore controuersum, factus in generali Synodo Sendominen.

1570. Aprilis primo.

CVm nihil sit perniciosius in Ecclesia Dei, quam lites contentionesq; ab his excitari, qui in primo doctrinę Christianæ capite, Ecclesiarum reformatarum consensum præbent, & schisma interim à corpore Christi faciant, placuit quosdam pios fratres, qui inter nos controuersam de Mediatore sententiam, modestè & pietatis regula obser-

uata

nata componi cupiebant, & Ecclesiæ communionem desiderabant, in sinum Ecclesiæ nostræ recipi. Hanc igitur proposuerunt, Ecclesiæ formulam sopiendæ huius controuersiæ gratia. Cuius hæc sunt verba. Credimus mediatorem Dei & hominum esse Christum Iesum, ita ut mediationis in humana natura peractæ uim totam ac efficaciam, á diuinitate eiusdem filij incarnati, patris nõ incarnati, Spiritus sancti non incarnati, processisse non negemus, sed constanter asseueremus.

Quam quidem confessionem illorũ synodus generalis orthodoxè intellexit, recepit, & approbauit, hosq; fratres, quorum nomina subscripta sunt, in numerũ membrorum Ecclesiæ suæ suscepit: his legibus & conditionibus, Primũ grauissime dolent se á gremio Ecclesiæ nostræ tamdiu abfuisse. Deinde nullas rixas de hoc capite religionis in posterum moturos, & quęstiones curiosas, phrasesq́ue inutiles, quæ hunc consensum violarent, non usurpaturos promittunt, tam in publicis concionibus, quam in priuatis collo-quijs fratrum nostrorum. Denicq; professi sunt in vniuersum se amplecti confessionem nostrã in hac Synodo propositam, eicq; lubentissimè subscripserunt, atq; se subijcere velle Disciplinæ Ecclesiasticæ, promiserunt, quo habeantur vnius Ecclesiæ ciues.

Deus itaq; Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est author pacis, quicq; animos hominum diu inter se dissentientes coniungit & conglutinat, omni genere benedictionis Ecclesiam suam locupletare velit, Cui vnà cum Filio & Spiritu sancto sit honor & gloria in secula.

Amen.